



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

10. Amici cur honorandi?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

quòd tanta pecunia diceret sibi opus non esse, legatis reuersis dixit Alexander: *Quid? nullosne' habet amicos, quibus benefaciat?* ostendens diuitibus optimum vsum pecuniarum, si quidem ijs bene erogandis, quàm malè defodiendis vti malint.

IX.

De oratoribus, & Pœtis magnificè honoratis, præcedente capite etiam multa dixi. Hic tantùm adijcio, Dionem historicum, ob insignem facundiam, *Chryssomum* fuisse appellatum: quod nomen etiam Ioanni episcopo Constantinopolitano, inter Ecclesiæ Patres, eloquentissimo est attributum. Cuius aureo ab ore, aureum orationis flumen manabat; & quoties è cathedra loquebatur, rosas loqui videbatur. Sine numero sunt talia. Vt enim Pericles, propter summam eloquentiam, qua fulgurare & tonitrua ciere videbatur, *Olympij* cognomen meruit; vt Sophocles, propter sermonis dulcedinem, *μάλιστα*, seu apis nominabatur; ita & alij ab eloquentia nomen honorificum acceperunt. Nam, vt Plutarchus scribit, *Æmyliorum* genus à dulci facundia leporeque est nominatum: *αίμυλία* enim lepiditas dicitur. Vnde etiam *Lepidi* cognomen assumpsere; à quo procul absunt, qui ore & sale carent, & rore pascuntur, more cicadarum.

Plutarch. in
Themistocle,
Gyrald. lib. 7.
hist. Poët.

Vide Plin.
lib. 11. c. 36.

X.

8. Amicos honore dignos quisque censet, qui ipse vult expectatque ab amicis honorari. Eos colendos esse, docet Deus, qui ipse amicos suos honorat. *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Docet ratio; vt enim nauis diligenter compingitur, quæ sit in tempestatibus præsidio futura; ita amicus fouendus est, qui & ipse in aduersis debet fouere. *Non exercitus, neque thesauri, præsidia regni sunt: verum amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas: officio & fide parantur.* Id ipsum docet prouerbiū, *Amicus magis necessarius, quàm ignis & aqua.* Colendus est igitur, ne perdatur. Quia amico amici sumus, & non sunt amici, qui degunt procul; & vultu saepe læditur pietas. De amicis honorandis multa Aristoteles, multa Cicero, multa alij. In diuinis mirifica Ionathæ erga Dauidem, & Dauidis erga Ionatham, amicitia describitur, qualis non fuit inter Theseum & Pirithoum, inter Damonem & Pythiam, aut si qui alij ab antiquis celebrantur. Sed abrumpo, quia compluræ extant volumina de hoc argumento; quod vel solum vno volumine non potuit comprehendere.

Psal. 138. 17.

Sallust. in
Iugurt.

Aristot. lib. 8.
Ethic. Cic.
lib. de Amicitia.

CAPVT